LUEM VENEREAM
PENITUS ERADICANDI ACCURATIOR ET TUTIOR METHODUS,

Quæ lenior utrâque in tempestate absque ullâ noxâ celebratur.

Auctore TQ.L.O SASSARD, P**
A. R-M. C.

Quolibet in opere integram erga cives proba mentem.

Venit 2 lib.



LONDINI.

Et apud AUTOREM Lutetiæ Parisiorum reperitur viâ Suburbii Jacobæi, n°. 218.

1787.

LECTORI.

De morbo venereo undiquè patent diſſertationes, præ cæteris autèm eruditiſſimi Astruc conſulenda ſunt opera; hujuſce contagii de causâ, naturâ, & origine, quidquid ſit detegendum honeſtè ac doctè ſcripſit. Ego verò, quæ per quadraginta annos, & ultrà docuerit me praxis in animo accuratè perpenſa, principiiſve fulta, ea omnia brevitèr & probè ſum relaturus. Non eruditioni, rei ſaltèm veritati & utilitati, viginti abhinc annis præſertìm, abſque remiſſione, totus incubui; de morbis ratiocinatio quælibet vel diſertiſſima nequaquàm eſt adeò tuta & evidens, ut praxis aſſidua.

Lues venerea, cujus nunc ener-

gia licet ſublatere remiſſa videatur abſque imminenti periculo, tamèn eſt admodùm infeſta, innumeroſve clàm metit cives. Quæ de contagio tàm gravi mea ſit ſententia, quæ argytarum ſint fraus & cupido, ut infrà aperiam, latinum hoc elegi idioma ſimplex, nulloque modo intricatum, quoniàm medicinæ lingua ex me nunquàm debuit fuiſſe gallica: erit mihi ſatìs quidem facultatem plurimis ſi abſtulero noſcendi, quæ ſint ſolius medici.

Ex gallicè ſcriptis horrendum nunc fit latrocinium; circulatores nempè, mulierculæ, hominesve ruſtici, nullâ arte, nullâ doctrinâ imbuti, utrique contrà bonis moribus planè exuti legunt, nihil intelligunt, cupidi omnia audent

& omnia invertunt. *Civium indè mors, aut ſenſuum artuumve jactura!* Quænam foret gallicè ſcriptorum ſententia? Dicant velim, de in artibus magiſtro, qui ædis ſuæ ampliſſimæ omnibus in locis, ac utriuſque ætatis innumeros inter diſcipulos apertè collocaret catapultas, ſclopos breviſſimos, pulvere & plumbo, inſtructos & per acuta quævis inſtrumenta.

Heu! quotquot victimæ? heu! quænam parentum mœſtitia?

An verè ad ægros ſublevandum gallicè ſcripſerint ab ipſis non rogito.

Pro vigiliis mercede quâdam ſi fuero dignus, ea duntaxàt erit mihi grata, quæ opuſculum hoc meum in gallicum verti denegaverit. Traductores pleriquè ad la-

borem, utrâque penuriâ adducuntur, nullive de concivibus queunt bene-mereri, extraneorum nisi latinè reddant sermones.



LUEM



LUEM VENEREAM

PENITUS ERADICANDI

ACCURATIOR ET TUTIOR

METHODUS,

Quæ lenior utrâque in tempeſtate abſque ullâ noxâ celebratur.

CAPUT PRIMUM.

De Morbo & Medicamine.

MEDENDI & ars & ſcientia, perutiles certè, omniumve præſtantiſſimæ, indiſſolubili modo nectuntur, ideòque medecinæ duo dumtaxat ſunt veri cultores; reverà ſunt gemini ægrotantium ad ſublevamen nati.

Qui, manûs abſque operatione, con-

ſiliis tantùm ſanat, dicatur Medicus; qui ſanitatem conſiliis, manûſque operatione reſtituit, ſit Medico-Chirurgus; huic, ſanè & jure merito, committenda videtur cura luem veneream penitùs eradicandi.

Inſanabilem eam diù voluêre plurimi, dum alii credulitati & timori multò minùs obnoxii nunc ſanant eam *citò, tutò & jucundè.*

O res miranda!

Quæ ex libidine, *citò*, *tutò & jucundè* oriuntur, mala *citò*, *tutò & jucundè* tollantur.

Ex naturâ ſuâ, hoc contagium non inſanabile probat experientia, nec eſt lethale; ægrotantium quidem negligentiâ, libidine, pravâ victûs ratione & medicamentis inerudité accommodatis, fit vel maximè periculoſum.

Seminium venereum vel eſt corroſivum, vel coagulans.

Si fuerit corroſivum, celerior ipſius

videbitur actio ; inflammationem citò inducit , carnes brevi contundit & depascit ; demùm rodit ossa.

Si fuerit coagulans, lentiori procedet gradu ; humores inprimis inspissat, tumores varios dein generat, & non breve temporis post spatium, in morâ adeò fit acre , ut infaustissimos edat casus.

Venereum hoc contagium stimulo veneris & coitu vel levissimo motum sese repentè infert in semen & lympham præ cæteris omnibus fluidis ; sic, hâc mixturâ fiunt fermentum, quod intimam suam servans analogiam, eodem modo & virulentâ suâ indole iterùm atque iterùm potest diversè inquinare nova seminis & lymphæ vasa & receptacula ; quin amittat facultatem nec potestatem pares edendi effectus, donec mercurio penitùs fuerint deletæ & eradicatæ. Cur & quomodò, laticis purpurei intactis aliis partibus, lympham & semen constanter afficiat virus nec ampliùs mirum.

Seminium venereum in divitibus ac

in egenis non pariter germinat, nec eadem procreat ſymptomata.

Divitum mollities, lautus victus, otium, veſtitûs munditia & debilitas coitu immoderato comparata intùs quodam modo torpere perſæpè cogunt virus, & ex eo externa rariùs ſurgunt ſymptomata. Indè verò varii dolores, febris lenta, macies, diverſi thoracis affectus, paralyſis & mors improviſa.

Egeni contrà ad laborem pertinacem & motum perpetuò coacti, ipſorumve tenuiſſimus ac pauperrimus victus ad extrà pellunt varios effectus, quos hujuſce ſeminii energia explicat. Tùm ſpurcitia, ærumnave induſiorum, totiuſque veſtitûs ſodorem ac excretiones purulentas ſuprà cutem totam diutiùs morantur; indè, horrenda hæc ſymptomata, quæ tùm faciei, tùm partium occultarum venuſtatem carnibus, diverſo modo, adnatis vel tegunt, vel cancris & ulceribus rodunt; [illegible]

Horribilis videtur lues hæc venerea,

non indè tamen periculosior; nam mutato victu, quiete, linteorum munditiâ, lotionibus quibusdam, jam evanescit horror & mercurii legitimâ administratione, fastidiosa hæc symptomatum facilè debellatur cohors, nec eorum dubia fit curatio à probo practico celebrata.

Non res eadem sic se habet in miseros, quos in nosocomiis veneriis accuratè & impunè eligunt argitæ, quibusve utuntur, ut principis & magistratûs decipiant religionem. Arcana sua gloriosè prædicando, horumce, præposteris laudibus, produnt futilitatem; ægrotantium nihilominùs falsam extollunt & portendunt curationem. Heu miseri! vestrum mox rediturum latet contagium.

Insidiosi illi circulatores vulgi sic credulos animos ludificare contendunt, intereà lucro turpiter quæsito placidè fruuntur, dùm dolent in nosocomiis electi.

Qualiacumque arcana prohibet bona fides, & civibus certè singulis medicinam auferre salutarem, eam suis soda-

libus tegendo, horrendum eſt latrocinium; idcircò probus nulla agnoſcit Medicus.

De iis circulatoribus, ſapientiſſimi Aſtruc liceat mihi referre ſententiam; ſic loquitur:

« Doleo equidem ex animo credu-
» lum ægrotantium vulgus in hunc mo-
» dum ludificari, mirorque ad quos per-
» tinet harumce rerum curatio & ad-
» miniſtratio in reprimendis ineptiis vel
» potiùs coercendis maleficiis iſtius modi
» indormire, quæ neglecta in magnum
» tùm rei medicæ, tùm rei publicæ de-
» trimentum recidunt. »

Quantò magis doleret hodiè ex animo tantus ille vir animadvertendo, quæ promulgata nuper fuerunt arcana!

Quæ ad contagii venerei curationem huc uſque fuerunt adhibita, cuncta novi medicamenta, plurimiſque ſum uſus. Ideòque de efficaciſſimo tantùm ſcribere volui, non verò de arcanis; quæ ſive

ſint ſolida, aut fluida; aquea aut ſpirituoſa; mercurii, dubio procùl, ſunt in volucrum, quod plerumque genuêre fraus & cupido.

Cæteris omnibus remediis ab omni tempore præpoſitus fuit mercurius; crudeles quidem ipſius ſtatim fuerunt perſæpè effectus.

Nihil eſt ſimul inventum & perfectum. Ex Cicer. Dein verò partibus heterogenis ac noxiis planè exutus factus eſt mitior; ipſius hodiè uſum tutò præſcribunt & adhibent medicinæ veri cultores, & abſque vel minimo periculo luem veneream penitùs evellit.

Pondere, diviſibilitate & mobilitate agere vulgò fuit dictum, quâdam imò facultate nondum denominatâ certè pollet, cujus ope ſymptomata vel graviſſima mirè delet.

Ignota hæc facultas, ni fallor, neutrum & iners efficit ſeminium venereum; proindèque nullus ultrà noxius remanet effectus nec germinatus ullus. Ex meâ me-

thodo hoc ſit evidens, cùm ægrotantes placidè ſanentur, quin humores ulli apertè nec ullo ſenſili modo excerni videantur. Quapropter contrà peritiſſimum Aſtruc & alios quoſdam auctores dico & contendo ptyaliſmum & ſalivationem curationi nocere & ſemper nocuiſſe. Ægrotantium enim debilitant vires; in ore & imis faucibus rimas & ulcuſcula generant, è quibus odor vel maximè fœtidus exhalatur. Tùm vacillant dentes, nulla exindè maſticatio; prorsùs laborioſa fit omnis deglutitio; dùm plurimi intereſt largè propinare & ſufficienter veſci cibis levibus. Tùm mercurii congruam quantitatem intromittere eſt nefas, oris ob pravum ſtatum, thoraciſque inflammationem aut debilitatem. Sic dubia, periculoſa & perſæpè nulla fit curatio, quæ nunquam foret incerta, ſi mercurii ſufficiens fuerit doſis ſalivatione & ptyaliſmo abſolutè remotis, quibus opportuniùs, tutiùſve ſubſtitui debent pillulæ catharticè, qua-

rum formula adinvenietur in materiâ medicâ ſequenti.

Ergò probatum eſt ptyaliſmum & ſalivationem, contagii venerei in curatione, eſſe caſum non levem; nedum ſint criſis utilis, ut voluit peritus Fabre & longè priùs benè multi.

Criſis quidem naturæ eſt peculiaris labor internus, ſponte ſuâ aut medicaminis quâdam phyſicè ignotâ facultate motus, quo morbus citò judicatur. Naturæ hunc laborem in lue venereâ mercurius, ut in febre cortex peruvianus, movet, quem hoc in caſu fauſtam criſim prænuntiant ſudoris inſenſibilis & urinarum copia, ſymptomatumque receſſus; nequaquam verò oris & thoracis vaſtatio. Criſis porrò hìc eſt remedii ſingularis & interna actio, quæ morbum mirificè pellit ullo abſque caſu; hujuſce criſis nullo modo certè ſunt effectus nec ſalivatio, nec ptyaliſmus.

Decepti fuêre omnes, qui ſalivatione

& ptyaliſmo contagii venerei citiorem & tutiorem fore curationem exiſtimaverunt. Quocumque enim modo adhibeatur mercurius, ullus verâ & inveteratâ lue venereâ laborans nunquam fuit ſanatus intra menſem, anteà etiam pro more admiſſis præparationibus, quæ ſint venæ ſectio, balnea & cathartica. Hujuſce temporis per ſpatium evaneſcunt quidem ſymptomata pleraque, at verò citiùs aut ſeriùs reſurgunt; quod ſingulis quibuſque diebus verax probat experientia.

Præter ptyaliſmum & ſalivationem, hujuſce morbi adhuc amovet curationem inedia, quam nullus annotaverit practicus.

Natura eſt omnium malorum medicatrix : huic veritati Hypocraticæ non ſervire quis auderet? Propriis ſuis viribus ergò, aut medicamine juvante, morbos expellit natura; vires autem minuit diæta, dùm eas adaugent medicamina congrua & alimenta facilis digeſtionis prudenter exhibita. Diæta levis vires minuit; diæta

gravior eas omninò tollit; proindèque naturam atterit, proindè, remoto naturæ auxilio, curatio fit dubia, aut exhaustus moritur æger (1).

Ergò pro ætate, pro viribus ægrotantium, pro morbi energiâ præscribenda est victûs ratio.

Prætereà, ut Medico-Chirurgus, hâc in curatione, tutò se gerat, ægrotantis studeat indoli; huic absque noxâ sæpè sæpiùs indulgere expedit, nam, *mente sanâ, facilè sanatur corpus.*

In cadavere naturam novisse mortuam, medicinæ ad praxim potissimùm deducit; at verò nec est satis; naturæ viventis varios adhuc progressus & recessus, suosque agendi diversos modos, à quibus pendet indoles, agnoscere plurimi refert, nam *quò natura vergit eò ducendum.*

Mercurius tandem tot variis modis

(1) Lue vereneâ & inediâ exhausti pereunt multi, quos occidisse immeritò habetur mercurius.

adhibetur , ut quos inter cæci eligunt argitæ, eos plerumquè ab ipſis præſertim ſelectos, ut noxios aut inanes, ab eruditis practicis jamdudùm fuiſſe rejectos compertum ſit.

Hujuſce remedii adminiſtratione ſivè intrinſecâ ſivè extrinſecâ, uti non unicuique licet.

Brevitatis ergò cauſâ, ac mentis meæ gratiâ, quidquid de præparationibus mercurii diverſis & de earumdem uſu, methodo meæ non fuerit conſentaneum, omninò prætermittam. Tutiùs quidem ac opportuniùs mihi videtur oblivioni ea cuncta tradere, quæ quibuſdam in manibus fieri poſſent periculoſa. De iis igitur, quæ uniuſcujuſque ſymptomatis in curatione prodeſſe poſſunt & tutò adhiberi, tantùm ſum locuturus; ea cuncta complectitur caput ſequens; cujus, mercurialis unguenti ex compoſitione, ut hìc præſtantiſſimâ, ſit exordium.

CAPUT II.

De materiâ medicâ huic morbo accomodata.

UNGUENTUM mercuriale mox describendum, licet ab omnibus notum, ex me, præstantissimum & unicum est remedium, quod multò tutiùs luem veneream delere queat; nec non mirum mihi videtur, quod, ab erudito Alexandro MONRO (1) jamdudùm exploratis valvulosis venis lymphaticis, de eligendo mercurium adhibendi modo adhuc superfit vel minimum dubium.

Præ:iosissima hæc exploratio, tùm hujusce morbi in incessu, tùm in ipsiusmet curatione, quæcumque surgant phenomena, ea cuncta apprimè expendit.

A genitalibus, quomodò ad hepar, ad

(1) De venis lymphaticis valvulosis, & de earum in primis origine, auctore Alexandro Monro, M. D. & Prof. Med. & Anat. Edinburgi.

thoracem, ad oculos, totamve cervicem; ſubitò evehatur ſeminium venereum, nos docet, probatque quomodò ſymptomata longè remota à partibus, quibus committitur mercurius, citò & mirificè evaneſcant. Quin imò ex dictis, ſine ullâ controverſiâ, conſtat completam adminiſtrationem frictionum mercurialium tutiorem eſſe methodum radicitùs evellendi contagium venereum; longiſſimis ab annis in praxi meâ hæc fulget veritas.

Antiquorum Medicorum doctrinam & agendi rationem noviſſe & perpendiſſe unuſquiſque debuit practicus; at verò ipſorummet diutiùs inſiſtere veſtigiis, aut ſtrictiùs amplecti ſententiam & doctrinam, vel vanum foret, vel aliquoties periculoſum.

Antiquorum pariter romanorum ac Carthaginenſium hodiè arma, ſi adhuc ſuperſunt in armamentariis, ea curioſè circumſpiciunt magnanimi Duces noſtri, & in numero ſtupent, quòd tormentum bellicum, catapulta, acinaces & ſica nunc

ſint ſatis, ut oppida oppugnent, prælia ſecunda faciant victoriamque obtineant. Hæc inſpectio tamen quorumdam movet mentem, & quorumdam firmat animum.

Antiqua, indigeſtave remediorum congeries Medici valet ſuſcitare curioſitatem; ſæpè ſæpiùs procreat faſtidium, & juvenum angit mentem; inter eos tamen quidam res annotant non rarò, quibus inpoſterùm fauſtè utantur.

Quò pluribus remediis ſanatus fuit æger, eò diutiùs certè remanet debilis & languens; quin imò nimiam eorum multitudinem & quantitatem nocere quiſque fatetur peritus.

Unguentum mercuriale.

℞. Mercurii crudi è cinnabari redivivi, axung. porci repurg. & baln. m. coctæ ana, ... l. 1
Veterat. Paris ung. mercur., unc. 2.
Hic eſt modus agendi:
Unguentum mercuriale veteratum &

mercurium fluidum diligenter tere, aut terat fidelis minifter in moriario ferreo, cum pifto ferreo, donec nulli globuli mercuriales, etiam confpicillo, videantur; tùm axungiam porci in aquâ putei rectè lotam & expurgatam, in balneo maris coctam ad cujufvis humiditatis confumptionem paulatim adde, & per horam integram indefinenter terenda eft hæc mixtura, ut fit accuratiffima.

Unguentum fic paratum faciliùs minif- tratur, citiùs ac tutiùs intromittitur, numquamve contrahit rancorem, nec eryfipelas impertit cuti.

Emplaftrum mercurii gummatum.

℞. Mercurii redivivi . . . . . uncias 4.
Gum. arab. vel tragag. . . unciam 1.
Butyri cacao . . . . uncias 3.
Ceræ albæ . . . . uncias 4.

Gummi fiat mucago cum unciis duabus aquæ calidæ, cui mercurium addere fit ac terere ut suprà, donec pariter ex-

tincto adjungi possit butyrum cacao cum cerâ albâ priùs liquefactum igne leni & semi-refrigeratum; tùm mixtura hæc diù & fortiter est contundenda, ut firmam & levigatam emplastri adipiscatur consistentiam.

Pilulæ mercurii gummatæ.

℞. Mercurii pro more expurg. . drag. 3.
Gummi arabici . . . . . dragmas 6.
Radicis enulæ camp. pulv. . drag. 3.

Fiat ex arte mucago cum s. q. aquæ rosarum in quo extinguatur mercurius & cum pulvere radicis enulæ campanæ citò fiat massa, ex quâ illicò formentur pilulæ. Pondere trium granorum vorandæ, cum opus fuerit.

Pilulæ de aquilâ albâ.

℞. Aquilæ albæ tenuissimè pulver. dragmas duas.

Conservæ Kinor. q. s. ut fiat massa

ſolida, quâ formentur pilulæ pondere granorum duorum, quæ ſervantur ad uſum.

Pilulæ cum mercurio catharticæ.

℞. Mercur. è cinnab. redivivi & in ſ. q.
Terebinthinæ extincti . . ſemi-unciam.
Rei electi . . . . }
Agarici. . . . . } ana drag. unam & ſemiſſem.
Folior. ſennæ mund. . . }
Trochiſc. alhand. . . . . }
Reſin. jalap. . . . . }
Diagrydii . . . . } ana drag. unam.
Aloes ſuccot. . . . . . . }
Tartari ſolubilis . . . dragmas duas.
Syrupi de rhamno . . ſ. q.

In terebinthinâ mercurius extinguatur, cui perfectè extincto addere eſt aliquantulùm ſyrupi de rhamno, ut in terebinthinâ ſic dilutâ, faciliùs terantur ac miſceantur reſinæ ſeorſim pulveratæ & in mortarium paulatim projectæ cum tartaro ſolubili; ſyrupi tantillùm adhuc ad-

dendo, donec expleta hæc videatur mixtura, cui addantur alia medicamina tenuiſſimè pulverata, cum ſ. q. ſyrupi, ut fiat maſſa fortiter contundenda, donec ſat ſit levigata, & ad efficiendas pilulas idonea.

His pilulis ab octodecim granis ad ſemi-dragmam identidem utor in completâ mercurii adminiſtratione, ut mercurio victum largiùs expellatur contagium.

Pilulæ è terebinthinâ & æthiope minerali.

℞. Terebinthinæ, ut infrà, coctæ. unc. 1.
Æthiopis mineralis . . . dragmas 2.

In aquâ tæpidâ moleſcat terebinthina cocta, cui manibus expaſſæ adde æthiopem mineralem & multotiès unà involvantur, donec maſſa abſque æthiopis ullo indicio ſit nigerrima & levigata.

In mortario ferreo calido ſit pariter hæc mixtura, è quâ formentur pilulæ pondere quatuor granorum.

Pilulæ è terebinthinâ ſimplices.

℞. Terebinth. venetæ perlucidæ. lb. 1.
Bulliat in ſ. q. aquæ fluviatilis, donec ipſius leviſſima pars in aquam frigidam projecta ità indureſcat, ut facilè frangatur; tùm tota mittatur in aquam frigidam & refrigerata ac indurata ſervetur ad uſum, & pilulæ ſint trium granorum.

De variis formulis.

Huic morbo accommodatæ multæ ſunt adhuc formulæ, quas ſingulas habet codex medicamentarius pariſienſis, in lucem editus anno 1758. Sunt formulæ æthiopis mineralis; aquilæ albæ ſeu mercurii dulcis, præcipitati rubri, lapidis cauſtici & infernalis, trochiſcorum excharroticorum, ſpiritûs nitri & vitrioli, tincturæ aloes & de myrrhâ. Horumce remediorum compoſitio non eſt Medici practici.

Varii potus.

Emulſiones, ptiſanæ infuſiones, ex variis ſeminibus, floribus, foliis & ſummitatibus plantarum, fructibus, radicibus, corticibus & lignis conficiuntur. Hiſce omnibus aliquoties adduntur ſyrupi violacei, de althæa, de limonibus, de capillis veneris, de nymphæa, de rhamno & de floribus perſicorum, à dragmis quatuor ad unciam unam pro unaquâque librâ. Ipſarum aliquoties in hauſtu fauſtè adhibetur tinctura martis operiens, à guttis ſex ad quindecim. De illis nullum agendi modum, nullam formulam hìc tradere decet.

Purgantia decoctu, ſolutione aut infuſione liquidâ.

Manna, ſenna, rhabarbarum, pulpæ tamarindorum & caſſiæ, ſalia cathartica amara, ſyrupus de cichorio cum rheo

electuarium catholicum duplicatum rheo, cæteris omnibus purgantibus anteponi merentur, ut fiant potiones catharticæ pro utroque sexu & pro quâvis ætate.

Purgantia in quolibet affectu venereo multò magìs congrua sunt liquida, quàm sicca & solida, ut boli & pilulæ, quorum substantia integra fertur in stomachum & alia viscera, quorum uno in puncto inflammationem periculosam, immediato suo tactu suâque morâ, procreare possunt.

Gargarismus detergens.

℞. Foliorum & summitatum agrimoniæ, unciam unam & semissem.

Coque in aquæ fluviatilis sesquilibrâ, donec rubescat decoctio, cui adde mellis rosarum . . . . unciam 1.

Spiritûs vitrioli dulcificati, guttas 24.

Aquæ vitæ . . . . uncias 2.

Erit gargarismus detergens.

Gargarifmus emolliens fedans oris calorem.

℞. Radicis althææ minutim incifæ, fefqui-unciam.

Bulliat leviter & infundatur in aquæ fluviatilis libris duabus suprà cineres calidos per femi-horam; tùm refrigeratæ infufioni, & per linteum trajectæ, adde aquæ vitæ uncias tres, & habebis gargarifmum, oris immoderatos æftus tutò & citò temperantem, dummodò os & fauces fæpè fæpiùs ipfo irrorentur à principio curationis.

Hifce duobus gargarifmis aut dumtaxàt fimplici decoctu radicis althææ utor, & ægris omnibus funt fatis, ut, nec in ore, nec in imis faucibus, ulla habeant ulcufcula, nifi priùs fuerint morbi fymptomata, quæ tùm eâdem ratione fanentur.

In curatione venereâ, nulla ex mercurio unquàm nafci ulcufcula fat probatum eft; hæc contrà fymptômata ho-

rumce gargarifmorum ope & legitimâ mercurii adminiftratione tutò tolluntur, quotiefcumque Medici & ægri recta fuerit agendi ratio.

Emplaftra.

Emplaftrum mercurii gummatum, emplaftrum diachilum gummatum funt fola, quorum aliquoties adhibeam ufum; de his vide codicem parifienfem.

Unguenta.

Unguentum fufcum, vulgò *de la mere*, bafilicum & de ftyrace ea funt, quorum mihi arideat ufus.; vide codicem parifienfem.

Candelæ medicæ.

De candelis medicis hodiè numerantur plurimæ formulæ; quædam videntur ineptæ, quædam periculofæ; de illis nihil ultrà. Doleo ex animo ipfarum de aucto-

ribus

ribus fusiùs nuper narrata gallicè fuisse probra. Sodalem inusitatis lacerare verbis nec est honestum, nec humanum; aliorum nos doceant errores, suimet ipsius amore quisque cæterùm potest excæcari.

Cujusvis speciei candelas, ut corpus extraneum imprimis in meatu urinario tantùm agere constat, sic inflammationem procreant; exindè si medicamine fuerunt conditæ, quod suppurationem movere, cicatricem refricare & iterùm inducere valeat, vanum mihi videtur alias eligere. Formularum proindè congeries fit supervacua, si ex omnium assensu una adest, quæ inflammationem, quam, ut corpus extraneum ediderit, sedare, suppurationem movere & cicatricem adducere possit, quæ cuncta mirificè præstat unguentum fuscum.

Hosce varios effectus nullus suâ doctrinâ pollens ipsi denegat practicus; ergò ipsiusmet formula unica dubio procul est exponenda, cùm insuper ex eo unguento candelas condere sit feminio venereo

conſentaneum. Quamvis in codice facultatis Medicinæ Pariſienſis fuerit deſcripta hujuſce formula, eam hìc recenſere gaudeo, ut quiſque, nihil ineſſe inepti, nec noxii ſuâ ſponte annuat.

Unguentum fuſcum, *vulgò* de la mere.

℞. Axungiæ porci	ana unc. octo.
Butyri recentis	
Ceræ flavæ	
Sebi arietini	
Lithargiri præparati . . .	
Olei olivarum	l. 1.

Coque more emplaſtri, donec ex fuſco nigreſcat.

Hic eſt modus agendi :

Lithargirus repurgatus in oleo coquatur, bulliendo indeſinenterque movendo, cum ſpatâ ligneâ, donec nigreſcat; tùm axungias cunctas in aquâ frigidâ lotas & expurgatas, tùm igne leni unà coctas ad conſumptionem totius humiditatis & per cetaceum trajectas lithargiro in oleo

bullienti paulatim addere juvat, deinque ceram flavam frustulentam, quam ad duplum & ultrà ferre licet, ut firmiores & ſicciores fiant candelæ.

Ea cuncta ad libitum & apté concoqui attendat opifex, ut in mixturam adhuc calentem mergere poſſit telam ſuâ ex naturâ & uſu tenuem; ex quâ unguento ſic oneratâ, refrigeratâ cultrove levigatâ, queant, ſecundùm artem fieri candelæ (1).

Candelarum de naturâ illas peregi, has nunc ipſarum de uſu incipiam ob-

(1) Unguenti fuſci, abſque lithargiro, altera in eodem codice pariſienſi ſubſequitur formula, ex quâ candelas aliquotiès condere juvat, cum ulcuſcula calloſa urethræ ſunt obices, quorum movere ſuppurationem ampliorem plurimì intereſt.

Utriuſque formulæ unguento fuſco medicas candelas mirè condidit mihi D. Regnault, Pharm. Pariſienſis, in viâ Cithareâ, & peroptatum habuêre exitum.

De la Hyerne, Chirurgus, in viâ Furni, ex regione Sancti Euſtachi, quaſdam candelas noſocomiis ſuppeditat, quibus fauſtè ſum uſus.

ſervationes, candelis olim ſum uſus, ut alii, fateor, inconſideratè.

De illis nondum locutus fuerat *Daram* cum multas ægris plurimis jam intromiſeram candelas quas à ſerò ad manè ſervarent in urethrâ; earumdem ſic uſus diù diutiùſve prorogabatur. Quaſdam quidem contraxerunt tragœdias, in genitalibus ſcilicet inflammationem & dolorem acutum, & in urethrâ ſuppurationem cruentam. Dein experientia docuit me, eas non tandiù relinquere intromiſſas; adhibeantur candelæ medicæ cum in urethrâ adſunt obices, quorum nulli ipſarum ope tolluntur, niſi inveteratæ cicatrices, quæ in unâ aut in alterâ parte conſtringunt meatum urinarium, niſi ulcuſcula calloſa quæ, ut ita dicam, metam pariter effingunt cohibentem urinæ effluxum. Quod ſuperſit dicendum infrà, videbitur in capite de gonnorrhæa.

Attamen hìc poſſum jamjam aſſerere omne pomatum fore vanum aut peri-

culosum, ut intromittantur candelæ medicæ; pomatum enim erit vanum ob suam variorum medicaminum mixturam, licèt fuerit leniens; erit periculosum ob urethræ texturam, si fuerit detergens aut escharoticum.

Hyperici dumtaxàt oleo simplici eas illiniri fas est, quod urethræ nullo modo adversatur; ipsius contrà linitu facilior leviorve candelarum fit introitus, earum facultas medicatrix unicè pendet è medicaminibus, quibuscum fuerint conditæ.

Candelarum præ introitu, momenti multò majoris sunt injectiones è decocto radicis althææ, vel è tepido lacte vaccino, quæ urethræ promoveant & adaugeant mucum & omnium fibrarum flexibilitatem. Ipsis etiam retractis, mirificè juvat ductum urinarium multotiès irrorare, iisdem injectionibus, sicque variæ tutò amoventur tragœdiæ, quas procrearent pomata.

Præcedentia hæc medicamenta sunt

ſatis, ut contagii venerei ſingula quæque penitùs eradicentur ſymptomata; ab omnibus quidem ſunt nota; perpendere tamen potiſſimùm expedit ipſorum energiam certè ſitam eſſe in ſelecto ea adhibendi modo.

Aliud ſupereſt mercuriale remedium (1), quod miram apud Germanos obtinuerit famam; hâc verò noſtrâ in

---

(1) Mercurius ſublimatus corroſivus de efficacitate ſuâ ſibi habet DD. WANSVIETHEN ac DEAHEN teſtes integerrimos nec non peritiſſimos, qui principes certè ſint inter pares. Quid indè? Gallos inter & Germanos de alimentis, de aëre, de moribus, & de robore ubinàm paritas? Quod adhùc multò pejùs, immensâ hâc in civitate morbi venerei è curatione ſuam extrahunt ſubſiſtentiam quindecim mille perſonæ mendaces ac contemnendæ, quarum agendi ratio non ægrorum ſublevamen, ſed lucrum turpiter quæſitum proſequitur: remedia vel minimi pretii eligunt, nec dolent de variis tragœdiis quas poſſint procreare: idcircò mercurii ſublimati corroſivi uſum nec mercatum hâc in regione non concedere civibus foret commodum vel maximum.

regione non adeò fuit efficax, illud contrà ægris exhibere vix fas est. Periculosum quidem generaliter agnoscitur, quibusdam tamen in casibus, ipsius adhibere usum potest practicus eruditissimus. Hujusce autem ullum referre modum agendi, nec purgantia tùm congrua describere non suscipiam, ne sim reus tragœdiarum quas posset procreare.

Quidquid anteà de arcanis & nunc de mercurio sublimato corrosivo promulgavi, sat probat palàm me nunquam retulisse remedia, quin priùs medicorum habuerint assensum.

Multis fortè videbitur nimis scholasticum & vanùm agendi modum de variis formulis me exhibuisse; at verò deduxit me experientia, quæ toties ostenderit incassùm medicamina rectè condere, curam fore vel maximi momenti, nec non sacrosanctissimum officium quod promulgare injungit caritas in cives.



CAPUT III.

De lue venereâ confirmatâ, sivè sit recens, aut inveterata; & de ipsius curatione, seu de completa mercurii administratione.

LUES venerea confirmata sua habet symptomata, quorum ratione dicatur recens aut inveterata recentem eam indicunt omnia symptomata paulò post coitum nata; inveteratam verò eam, quæ à peracto coitu, post mensem & ultrà surgunt. De omnibus infrà est sigillatìm dicendum; at priùs stabilire plurimì interest, methodum tutiorem, quæ symptomata qualiacumque penitùs eradicare queat, quæve necessario sita sit in modo mercurium adhibendi, ut videre est, itaque sic ordiri decet.



De administratione completâ frictionum mercurialium.

Mercurii completæ administrationis, ex me hic est processus : ægrotantis, quarto ab anno, quævis sit ætas; quodcumque sit temperamentum, morbus sit recens aut inveteratus ; nullâ habitâ ratione de sexu, sanguinis majorem vel minorem quantitatem imprimis è brachio emitti studeo, ab unciis duabus ad octodecim, pro viribus ægri.

Ex hoc momento tuta instituenda vivendi ratio, à quâ per curationem discedere sit nefas, & per diem hunc totum, seri lactis clarificati aut ptisanæ è radice bardanæ bibendum est libras duas; serò injiciatur enema cum decocto foliorum althææ & parietariæ. Nihil prorsùs est omittendum, ut nullo modo angi possint motus & circuitus humorum, quibus corpus humanum perpetuò est imbutum.

Potionem catharticam è purgantibus

liquidis ſuprà citatis, poſtridiè propinet manè æger ; idem ac antecedenti die ſit potus, ut leniùs & largiùs dejiciat excrementa. Modicum ſit prandium, & cœna ſemper levis ; accuratè amoveantur alimenta cruda, dura, ſalſa, aromatis condita, & omnis caro ſuilla.

Craſtinâ die in balneo aquæ fluviatilis manè & ſerò ſedeat per horam integram aut ſeſquihoram ; ità paretur balneum, ut nec caloris, nec frigoris ullum habeat ſenſum. Pro matutino balneo jejunus ſit ſtomachus & pro ſerotino, ciborum plena coctio & perfecta.

Cùm è balneo manè ſurgit, juſculum liguriat & in lecto, vel in ſede quieſcat per horam integram ; dein quolibet aſſueto labore fungatur, dummodò antè prandium potaverit ptiſanæ è radice bardanæ aut althææ & graminis libram unam ; prandio, ut ſani, fruatur, ſeligendo cibos ad concoquendum facillimos & aquâ minorem meri diluendo quantitatem.

Cùm è balneo ſerò exierit, per dimidiam horam ad libitum quieſcat, &, ſumpto juſculo vel leviſſimo victu, cubere properet, ut recuperatis ſomno viribus balnea libenter ſuſtineat, donec ad minimum ſint numero duodecim & viginti ad ſummum. Hâc enim in curatione balneâ, ut docuit experientia, ſunt *conditio ſine quâ non.*

Duodecim balnea per horam integram, aut octo per ſeſquihoram, intrà octo aut duodecim dies, pro viribus ſuis, cùm non interruptè ſumpſerit ægrotans; iteretur, ut ſuprà, potio cathartica.

Die ſequenti ad completam mercurii adminiſtrationem eſt deveniendum, quæ novâ victûs ratione ſit recta, & à quâ per totam curationem diſcedere periculoſum foret (1).

---

(1) Victûs rationi non ſervire vel maximè eſt periculoſus calor immoderatus, potûs defectu os angit & guttur; indè inflammatio & ulcuſcula

Hæc eſt nova victûs ratio : 1°. Septimâ horâ matutinâ lactis vaccini tepidi ſex uncias hauriat æger, tùmve in lecto per horam integram adhuc jaceat vigilans, vel dormiens. Hinc ad munus pro more adimplendum redeat, & de dimidiâ in dimidiam horam, ptiſanæ è bardanâ ciathus tres exhau riat

2°. Cùm decima dederit hora, liguriat juſculum, panis albiſſimi comedendo fruſtulum, ſi, ægro juvene, ſtomachum pungat fames.

3°. Ab undecimâ horâ ad meridiem uſque, ptiſanæ duos bibat ciathus.

---

naſcuntur & de capite toto ſe malè habet æger, victûs quantitate minori opprimitur natura ; fractis ſic viribus, remediorum nequit actioni favere ; majori verò victûs quantitate depravatur ſtomachus, prava fit coctio, indèque alvi profluvium, viriumque jactura, quæ ſingula moram neceſſariò afferunt curationi, aut eam efficiunt nullam ; & quod multò pejus, mors tollit ægrum.

4°. Horâ post meridiem primâ, prandio ut suprà fruatur.

5°. Si morbo attritus fuerit æger, quartâ horâ poterit sumere jusculum, tùm à quintâ bibat, dùm alii à quartâ ad septimam horam, ter quaterve ptisanam potaverunt.

6°. Septimam inter & octavam pulmentum vel ova sorbilia comedat.

7°. Decimâ horâ, lactis vaccini iterùm uncias sex propinet.

8°. Per noctem sitiat, an non; ad libitum perpotare potest ptisanam.

Ægrotantibus cunctis congruit hic victus, cui tamen modum peculiarem aliquoties adhibeat Medico-Chirurgus.

Hocce metipso die, primo manè, horâ dimidiâ priùsquàm lac suum sumat æger, vel horâ nonâ serotinâ, illiniri debet cum dragmâ aut sesquidragmâ unguenti mercurialis, cujus formula suprà fuit notata; nam frictiones manè aut serò fieri parvì refert.

Hæc prima frictio fit super utrumque

pedem circumcircà calcaneum & malleolos ad tibiæ inferiorem partem.

Secunda, à parte tibiæ inferiori ad superiorem.

Tertia, à parte superiori ad dimidiam partem femoris.

Quarta, â dimidiâ parte tùm internâ, tùm anteriori femoris ad inguen, quod propter innumeras suas glandulas totum, eodem tempore, accuratiùs ungi debet.

Quinta, ab infimâ tùm externâ, tùm posteriori parte femoris ducitur ultrà nates, eas utrinque illiniendas.

Sexta, ab osse sacro ad secundam vertebram dorsi, tùm lumbis certè comprehensis.

Septima, à tertia vertebrâ dorsi ad cervicem, nec omissis scapulis, nec utroque latere dorsi.

Octava, ab acromio pervadit brachium totum, axillasque quas planè ungere juvat (1).

---

(1) Corporis ità illinitæ hæ partes, ut manus

Singulas quaſque partes linteo calefacto oportet priùs fricare, quàm mercurio eas illinire. 1°. Ut cutis humiditas, & illuvies abſtergantur; 2°. ut calore, ex hâc frictione ſiccâ naſcenti, ipſius ampliores pateant pori, quibus unctiones tutiùs ampliùſve intromittunt mercurium.

Haſce frictiones túm ſiccas, tùm mercuriales antè igniculum lucidum fieri expedit, quòd nimìs urens ignis partibus certè impertiret inflammationem, quæ mercurii vetaret ingreſſum, cutis neceſſariò arctando foramina.

Præ cæteris partes quædam, linteo calefacto, volunt paulò diutiùs fricari, genitalium nempè vicinia, in utroque ſexu, ut pars ſuperior femoris inguen, & axilæ, quibus in locis majorem, ſpiſ-

---

nuda ſuprà cutem ſtrepitum quemdam edat, linteis ilicò involvantur sìcque curationis per totum decurſum die noctuve remaneant; alioquin mercurii vel maximè incerta foret doſis.

ſioremve illuviem deponit humor ſebaceus.

Frictionibus octo corpus totum illiniri ſit opportuniùs, ut ipſius quævis pars illinienda non toties ungatur unguento mercuriali, per ipſius completam adminiſtrationem, ac ſi corpus in truncum & in extremitates ad hoc fuiſſet partitum; nam in alterutrâ unctione craſſitiem quamdam ſuprà cutem deponi compertum eſt, quæ pariter mercurii vetaret ingreſſum, qui exindè incertus nec non infidus foret.

Frictionis primæ & ſequentium major & minor, pro doctrinâ Medico-Chirurgi, erit doſis; (1) at verò omnibus jam

---

(1) Pro octo prioribus unctionibus unicuique ſatis eſt dragma una, aut ad ſummum ſeſquidragma unguenti mercurialis; tertio quoque die debent adhiberi, horâ & modo ſuprà dictis. Os & fauces ſi fortè invaſerit calor immoderatus & paululùm tumuerint amygdalæ, mercurii non ideò minuenda erit doſis; at verò ultrà biduum, etiàmve triduum referendæ ſunt frictiones, ut

asserere debeo curationis exitum potissimùm pendere à prioribus frictionibus.

---

citiùs abeant calor & amygdalarum nascens inflammatio. Levibus hisce casibus sedatis, præmissisve octo unctionibus adaugenda erit dosis pro cæteris.

A dragmâ unâ in principio curationis, ipsius per totum decursum mercurius adaugeri poterit ad dragmas duas & perrarò ad majorem quantitatem.

Auctorum varia est sæpè sententia de mercurii necessariâ quantitate ad penitùs eradicandum seminium venereum, hocce objectum rectè terminare vel maximi foret momenti; nam mercurii minor dosis fit vana, majorve periculosa. Morbi inveterati energia nequit deleri câdem quantitate mercurii, quæ mirè tollit symptomata contagii recentis.

In praxi ratiocinatio & prudentia duces sunt necessarii, ut hujusce morbi curationis amoveant tragœdias & ægrotantes ad faustum deducant exitum. Unguenti mercurialis media quantitas ad uncias quatuor, & frictionum numerus ab octodecim ad triginta, ex me, possunt evehi. Harumce rerum multò longiùs retulit metas Swiedar, Medicus Anglicanus.

Pueri ex utero luem veneream contrahentes,

Ex quantitate hìc præcipuè oritur periculum; doſis enim gravior ſanguinis

---

eâdem methodo ac eâdem remedii quantitate, poſſunt tutò, nutricis intrà brachia, ſanari; tùm verò nutrix vivendi rationi debet ſtrictè ſervire, paritèrque adminiſtrationi mercurii vel maximè completæ. Frictiones, ſivè quoad remedii quantitatem, ſivè quoad numerum frictionum, pro more, adhibeantur; à principio tamèn curationis ad quindecimam identidem longiùs ſubjiciatur temporis intervallum, ne nutricis lac mercurio nimis oneratum, pueri os calore & ulcuſculis citiùs inficiat. Cæteræ autem mercurii unctiones tertio quoque die, poterunt miniſtrari, donèc & pueri & nutricis omninò eradicetur lues venerea.

Medendi longè differt methodus pro pueris, quos nutricis lacte, ſanare inſauſtè fuerit nefas; ipſorum ætatis ad tertium, quartum aut quintum annum & ultrà deferenda eſt curatio, niſi magis ac magis urgeant ſymptomata. Mercurio quidèm tenerrimis in annis debent illiniri, incipiendo à duodecim granis, aut ad ſummum à quindecim, ad dragmam unam unguenti, cum congruis intervallis intèr priores frictiones. Ipſorum victus ſint lac vaccinum, tenuis panis jurulentus,

nimìs properat motum, qui varios ſæpè genuerit caſus, à quibus mercurii prava toties oritur opinio, quæ vulgi in animo tam altè defigit horrorem adeò inſuperabilem, ut plurimi ægrotantes maturam mortem libentiùs oppetant, quàm tutam curationem, quâ fauſtè frui potuiſſent, ſublatâ jam pridem inſitâ menti hâcce infelici opinione.

Quid prætioſi ſi fuerit hominis valetudo integra, minutior nemini certè videbitur hæc mea methodus.

Ex dictis per totam mercurii adminiſtrationem, tertio quoque die, frictiones adhibere licebit, dummodò victûs rationi ſerviendo largè bibat æger &

---

juſculum è carne bovis & galli aut ovis, oſſa ſorbilia aut cum lacte & paululùm ſacchari cocta & pro potu levis decoctio radicis althææ. Hæc curatio eſt longior, abſque ullâ intermiſſione vult abſolvi; at verò accuratiſſimè eſt cavendum ne in ore ſurgant vel minima ulcuſcula quæ longiora tutò ſtabilirent temporis intervalla.

os & fauces gargarismo emolienti sæpè sæpiùs irroret, quorumcumque accuratè inspiciatur status, qui faveat deglutioni; dummodò his sedulò perpensis, congruâ mercurii sit dosis. Quæ si accuratè observaverit à principio curationis, nec calore acriori, nec ullis angetur ulcusculis, nec non ut in sanitate, remoto omni odore fœtido, cibum & potum pro morbo libenter sumere poterit.

Nedùm desideretur salivatio aut ptyalismus, oris contrà ut servetur amœnitas grata, per totam curationem practicus doctrinæ suæ compos omnem operam indesinenter conferre attendat.

His omnibus animi consentionibus invitis, quædam si supervenirent incommoda, ut glandularum maxillarium aut amygdalarum inflammatio, calor immoderatus faucium, sulphuris referens odorem, saporemve insuavem, alvi effluvium : quæ non rarò contingunt cùm lue intereâ inveteratâ, & variis medicamentis, cum salivatione incassùm jam

dimicata laborat æger. Tùm gargariſmo emollienti ſæpiùs utatur aquæ fluviatilis enemata manè & ſerò injiciantur; nullam per aliquot dies comedat carnem, nec aëri frigido & ſerotino ſe committat. Levia hæc incommoda nullam curationi afferrent moram.

Inveterato morbo venereo ſeſe perſæpè adjungit ſcorbutus, eorumdem ſymptomatum non raro ſunt participes; uterque, uno & eodem tempore, ſuis remediis poteſt ſanari, quin mercurii completæ adminiſtrationis immutetur methodus.

Quæ luem veneream confirmatam denuntiant, quæ nullo alio modo, quàm mercurii completâ adminiſtratione poſſunt penitùs ſanari ſymptomata ſunt ſequentia.



CAPUT IV.

De carie & exostosi.

Caries & exostosis proprii sunt morbi ossium, pro felicitate mortalium nunc perrari; non ideò lenior est lues venerea. At verò mercurii tam familiaris usus sub diversis involucris, plus minùsve debilitat contagium venereum, sicque amoventur symptomata olim frequentissima. In miseris & apud milites adhuc animadvertuntur infaustissimi hi casus, ipsis tamen ministrantur remedia mercurialia in nosocomiis venereis. Hæc autem ita laboriosa est curatio, ita fastidiosa, ut ab eâ deerrare sint coacti propter dolores & inediam; verus insuper abest mercurium adhibendi modus. Hujusce speciei ægrotantes victûs rationem invertere indesinenter contendunt; prætereà ipsorum de numero maxima est sollicitudo, & minima de exitu morbi;

ſimul ut veneris nulla ſupereſt macula, omnes habentur radicitùs ſanati. Exindè diù ſublatet ſeminium venereum mercurio attritum, non verò enecatum; defatigationes, labor improbus, libido & prava victûs ratio, per aliquot menſes aut etiam annos, quodam modo virus opprimunt, quod tandem, ipſius remanente ſufficienti energiâ, clàm fodit & rodit oſſa, aut horumce lamellas quaſdam & perioſteum extollit. Attamen extat inexpugnabilis veritas, curationis venereæ omnes horrores, moleſtamve quorumdam remediorum actionem ſupprimere juvaret, amovendo ſalivationem & arcana argitarum. Tùm hoſce ultimos caſus agnoſcere non liceret, cum jamjam probatum fuerit completam mercurii adminiſtrationem multominùs eſſe moleſtam & faſtidioſam, quàm remedia, quibus vix fas eſt expugnare febrem quartanam in autumno, quæ viderentur longè magìs oneroſa quàm methodus mea curativa. Quapropter hujuſce opuſ-

culi in capite ultimo agetur de novo regimine in nosocomiis venereis instituendo, ut videre est.

Caries est aperta & sicca, aut sublatens & humida; utraque facilè dignoscitur visu & specillo : caries quævis præter completam mercurii administrationem, vult adhuc curam specialem & localem, ut radicitùs sanetur.

Ossa huicce morbo frequentiùs obnoxia sunt ossa cranii, nasi, palati, & ea omnia quæ aëris intemperie & corporum extraneorum variis ictibus possent faciliùs percuti.

Quæ imprimis carie depravantur ossium partes, è sanis evelli necesse est; ad hoc faustè adhibentur lapis causticus, cauterium actuale, dissolutio mercurii in spiritu nitri, quorum usus tironibus nunquàm est committendus. Balsamum fioraventi spirituosum, spiritus vini exquisitissimi, tinctura myrrhæ & aloës mitiorem præbent usum; hæc nemo nescit, nec cætera omnia auxiliorum genera,

genera, quæ brevitatis causâ ſunt prætermittenda.

De Exoſtoſi.

Succus medularis oſſibus peculiaris naturam habet oleoſam & unguinoſam, quæ ubique ſit eadem; ſingulis oſſium partibus ſuppeditat nutrimentum, eamque ſeminio venereo ſæpè inquinari probat experientia. Indè naſcuntur variæ exoſtoſes aut tumores, qui, variè circumſcripto tubere, ſupra confinium partium libellam extrorsùm prominent.

Exoſtoſes quædam ſunt ſubmoles; quæ prementi digito cedunt; acriter aliquoties dolent, interdùm lancinant, & eas, abſque oſſium labe, ſolo perioſto tumefacto, fieri variis obſervationibus eſt compertum.

Sunt aliæ multò graviores, in quibus contagio venereo ità inſpiſſatur ſuccus medularis, ut variæ cellulæ oſſium, hâc ſubſtantiâ repletæ ſensìm, adeò diſ-

tendantur & tumeant, ut offis fuperficies extrorsùm arcuetur, & varios tumores renitentes, formâ & figurâ difpares, referat.

Exoftofes plerumque delentur mercurii adminiftratione completâ; fin minùs poft octo aut decem frictiones vifibiliter minuerent, eas, fingulis quibufque diebus, illinire oportet cum quantitate minori unguenti mercurialis; vel eas, die noctuque, obtegere cum emplaftro mercurii gummato, vel cum linamento leviter aut graviter onerato unguento mercuriali.

Exoftofes pertinaciores cariei plerumque præbent fomitem, tùm ad medicamenta cariei accommodata eft recurrendum.



CAPUT V.

De variis eſcreſcentiis carnoſis.

CARNES adnatæ, qualeſcumque ſint, è quavis parte ſurgant, ſunt lues venerea confirmata & inveterata in divitibus; neglectave in egenis, plerumque recentior, ideòque non gravior, ut ſuprà fuit notatum.

Porri, verrucæ, condilomata, criſtæ, omneſque hujuſce ſpeciei eſcreſcentiæ perpetuò ſunt effectus contagii venerei coagulantis, in ſanguinem jampridem infuſi apud illos; in his verò quandòquidem à contagio recentiori naſcuntur ob ærumnam & illuviem. In utroque caſu, antivenereis radicitùs nequeunt ſanari, ut voluit olìm peritiſſimus Aſtruc, & nuper benè multi.

Experientia hujuſce temporis manifeſtum eſt eas eradicari non poſſe, niſi accuratiſſimâ mercurii adminiſtratione.

Evanescunt tamen hæ carnes adnatæ antevenereis, iteratis purgantibus drasticis, lotionibus quibusdam, aut citiùs depascuntur solutione mercurii in spiritu nitri corrosivi aut pulveribus escharroticis tuthæ & sabinæ; at verò resurgunt seriùs vel ociùs. Possunt quidem deleri, non autem sanari, quòd viscosius, crudius & tenacius semper sit hoc virus. Cùm antivenerea dumtaxàt adhibita fuerunt remedia, contendo horumce ægrorum concubitus perpetuò fore fontem uberrimum contagii venerei.



CAPUT VI.

De variis bubonibus venereis.

Bubo eſſentialis & ſolitarius omnium eſt graviſſimus; idcircò de ipſomet imprimis dicere decet; ſeminii venerei coagulantis & inveterati ſemper eſt effectus. Nullum alium veneris caſum habet comitem; nullum procreat dolorem, niſi tale priùs adeptus fuerit incrementum, quod vicinia ultrà modum diſtendat ad dolorem uſque.

Nullus dolor, nullus rubor, nullus color, nulla huc uſque febris adeſt, licèt unius glandulæ, aut multarum jam appareat ingurgitatio, longo intervallo interìm lancinat, inguinis ferè omnes inquinat glandulas, quæ in utroque inguine perrarò turgent unà. Quò fortior eſt ægrotans, eò celerior, eò major fit grandularum ingurgitatio; at verò natura,

ſi fuerit debilis, lento lentiori procedet gradu.

Hoc in ſtatu quieſcit ægrotans; nequaquàm eſt ſollicitus; nulla cætera adſunt ſymptomata; conjugii expertem vitam jam pridem ducit; non à menſibus, ſed etiam plurimis ab annis non fuerat ſcortatus. Attamen, ignotâ cauſâ, celeriùs demùm turgent inguinis glandulæ; pro practicis nihil mirum.

Hujuſce bubonis fons eſt ſeminium venereum coagulans, cujus in lympham tota vis impulſa, per menſes, etiamque per annos, torpere potuit; quòd lympha ſit humor pinguis, frigidus & gelatinoſus; ipſius partes ſunt ramoſæ; ſua receptacula nullâ arteriâ, nullâ venâ ampliſſimâ calefiunt; idcircò his omnibus poſitis, quodam modo torpidum languet hoc ſeminium, & ut ad extremum germinet neceſſarius ſit peculiaris quidam aſtrorum circumactus, qui naturam quomodòcumque accendat. Ex modo allatis hu-

jufce feminii lentum fieri germinatum conftat, interdùm malè fe habet totum corpus; anxius demùm ægrotans fit macilentus ac pallidus, & eò advenit bubo, ut nec æger, nec practicus ipfius naturam non agnofcere queant.

Tùm ad completam & accuratiffimam mercurii adminiftrationem eft illicò confugiendum, fin minùs infauftiffimi imminent cafus. Hic enim bubo ad peffimum æquè celeriter vergere poteft, ac fuo in ortu fuerit lentus; ipfius in curatione fingula quæque amoveantur emplaftra, quæ vel graviffimas poffent contrahere tragœdias. Mercurio tantùm indiget natura, fuppurationem, aut refolutionem fponte fuâ parabit, & electam ad felicem exitum ociùs deducet, fivè fit refolutio, fivè fuppuratio. Perparum angetur ægrotans, nullive periculo erit obnoxius, fi practici periti doctrinæ, nec non curationi fervire maturè feftinaverit; huic morbo remedia, quæ congrua

ſint & neceſſaria, hoc in capite infrà ſecernere eſt.

Bubones alii ſunt concomitantes, qui, dùm elabitur fluxus venereus, cancris etiam exiſtentibus in pudendis, ſurgunt; non ſunt tanti momenti, poſſuntque antivenereis ſanari. Eos intueri fas eſt, ut caſus inflammatorios, quos naturæ, refrigerantibus & lenientibus non neglectis, committere liceat, dummodò prava & ineruditè adhibita medicamenta fluxui virulento non fuerint adverſa; huic contrà favere eſt ptiſanâ levi è radicibus althææ & graminis, addendo nitri depurati grana ſex, aut ad ſummum duodecim pro unaquâque librâ. Uberius enim fluente gonorrhæâ, ſenſim & tutò evaneſcit bubo.

Quoad ulcuſcula cancroſa in pudendis, manè & ſerò ſunt abluenda cum decoctu radicis althææ, quorum ſibaſis dura fuerit, lapide infernali leviter per-

ſtringetur & cooperietur linamento quantitate minimâ unguenti baſilici onerato. Paucos poſt dies radicis althææ è decocto lotiones & linamentum ſiccum abſolvent curationem.

Hujuſce ſpeciei bubones, fluxu venereo imperitè exſiccato & repulſo, ut ſubſequentes volunt debellari.

Bubones ſubſequentes multò ſunt graviores, ipſorum ortum & inceſſum accuratè perpendere expedit. Qui, paulò poſt receſſum, cujuſvis ſymptomatis venerei, pullulant, minus ſunt periculoſi quàm qui, remotâ & ſublatâ contagii præſentiâ, poſt menſem & ultrà ſurgunt.

Quæ præcedentia ſymptomata abire coegerit cauſa, diligenter eſt detegenda; naturæ ſeu totius corporis commotio quædam, helluatio iterata, fluxum venereum aliquoties ſiſtunt, aut potiùs repellunt ad ſedem aliam, & ulcuſcula leviſſima delent, tùm qui paulò poſt ſubſequuntur, bubones non ſunt peſſimæ

indolis ; ad ſuppurationem plerumque eos ſuâ ſponte cogit natura , & anti-venereis poſſunt ſanari.

Horumce ſanationem qui ſuſcipiunt, magìs ac magìs caveant ne emplaſtris ullis utantur , quæ perpetuò nocent & adverſantur naturæ. Si ſemper amoverentur emplaſtra , boli aut pillulæ, pulveres & quædam adhuc circulatorum medicamenta , multò pauciores forent bubones , qui excruciant ægros , practicisque peritis oneroſum faſtidioſumve ſuppeditant laborem.

Medicinæ in praxi , nihil eſt majoris momenti quàm conſulere naturam , ipſiuſmet ſtrictè ſervire indiciis ; quos ſuppurationi voveat natura bubones, neceſſariò ſunt ſuppuraturi ; eorumdemve de reſolutione pariter vigeat hæc ſententia.

Suppurationis cum viam , annuente naturâ , eligit bubo , abſolutior & generalior fit hæc ſuppuratio ; tumoris in cavitate nulla ſuperſunt ſpecimina, nec

cavernulæ, eumque ſcalpello aperire expedit, ut infrà videbitur.

Bubones, qui longè ſeriùs tument, poſtquàm ſymptomata quævis, remediis ineruditè adhibitis propulſa abiere, ſunt graviſſimi. Seminium enim quod, aliquanto tempore, nullum portendit caſum, non minus inquinat naturam quæ tùm depurgari nequit, niſi completa adhibeatur mercurii adminiſtratio.

Suppurationem aut reſolutionem properare ſi voluerit practicus, emplaſtica adhibendo medicamenta, hâc agendi ratione, ægrotanti longiores & acutiores parabit dolores, ut modò prænuntiavi.

Glandulæ quidem aliquot, his auxiliis, ad ſuppurationem ſed inæqualem vehuntur, dùm aliæ ad reſolutionem naturâ magìs propulſæ ſtant integræ. Indè nec abſolutè, nec generaliter concoquitur humor; indè omninò diverſa bubonis fit indoles; indè pravis & ineruditè accommodatis remediis, aut ægri libidine & pravâ victûs ratione,

bubo fit fiſtuloſus, skirrodeus aut carcinomatodeus ; indè acutiſſimis doloribus, excruciatur æger ; indè practicus curationem oneroſiorem & operoſiorem deducere cogitur, quæ numquàm obtinetur, niſi completâ mercurii adminiſtratione eam ſedulò proſequi velit.

Tùm ægrotantem argytæ & quidam imperiti cauſticis miſerè excruciant ; quidam variis topicis eum deducunt ad langorem ; interdùm eadem viget contagii venerei energia, & mors tandem ſolvit litem.

Hos inter ſunt bubones, quos peritus practicus ſanare potuiſſet etiam antivenereis ; at verò ut hæc ſint ſatis, ut huicce curationi fidem quamdam liceat addere, pro certo habere decet, an æger priùs uſus fuerit remediis circulatorum ? Prior enim falſa curatio, poſteriorem efficit dubiam, niſi accuratior adhibeatur mercurii adminiſtratio.

Bubones multi quorum argytæ emplaſtris priùs ſuſceperunt curationem, skirroſi, carcinomatodei & œdematodei evadunt & remanent. Quoſdam ad ſuppurationem, quævis ſit, adducere ſi fauſtè liceat, tùm lapide cauſtico aperiantur.

Cauſtici enim actio propoſitum edit effectum, ſcalpelli abſque ope; dùm tumoris operatio, cum ſcalpello celebrata, glandulas quidem ſemiſuppuratas, induratas aut skirrodeas detegit, non indè minus deveniendum eſt ad deliquium lapidis cauſtici, vel ad butyrum antimonii, ut glandulæ inquinatæ omninò depaſcantur.

Iiſdem fuſis cauſticis pariter uti expedit, cùm glandulas & fungoſas luxuriantesve carnes conſumere & reprimere oportet, præſertìm in bubone carcinomatodeo, ſi contagii energiâ demùm dehiſcat in ulcus.

Lapidem cauſticum ſecundùm codi-

cem parisiensem cunctis cæteris esse anteponendum existimo, ipsum enim coercere nulli perito practico est nefas.

Lapidem hunc adhibendi hæc est mea methodus

Diachili gummati emplastrum sumo sat amplum, ut tumorem integrum planè cooperiat; ipsum diachili gummati tali quantitate oneratum volo, in quâ rivulum cultri acumine effingere queam, ut apertura tumoris, ipsius volumini, meoque menti sit consentanea. Hujusce rivuli totam ripam linamento sicco ita circumcingere curo, ut caustici ad extrà effusum deliquium nec irrorare, nec rodere possit vicinia (paris exundationis horrenda persæpè vidi vestigia) rivulum hunc sic circumactum fragmentis caustici lapidis, plus minùsve crassis adimpleo caustici actionis pro altitudine & amplitudine desideratâ, quàm hoc modo, ad libitum, ut ità dicam, ducere queo intra tres, quatuorve aut quinque horas, quas domi meæ

aut alibi, me præſente, peragere debet æger, tamquam eſt poſſibile. Incumbat ullo abſque motu, ſimul ut imponitur cautè emplaſtrum ſic inſtructum & priùs aëri aperto expoſitum, donec paululùm madidus videatur lapis cauſticus. Sin autem deambularet, aut quolibet modo moveret, effluvium adeò corroſivum coercere dubium foret.

Elapſis ſuprà dictis horis amoveatur emplaſtrum; tùm vulnus apparet ſubnigrum & ſanguinolentum; ſic nigreſcit corium cauſtico aduſtum, quod ſcalpello ſuam ſecundùm longitudinem ſit illicò incidendum.

Hæc inciſio fit ullo abſque dolore, cauſtici enim altiùs ſeſe fert actio; hujuſce inſenſibilis ſectionis ope datur via, & illicò delabitur ſuppuratio quæ ſublateret. Tùm vulnus tegitur linamento, unguento baſilico, onerato, & ſuperapponitur emplaſtrum unguenti fuſci, quod ſingulis quibuſque diebus iteretur.

Per aliquot dies paulò leviùs nutriatur æger, ptiſanâ & enematibus aquæ fluviatilis accuratiùs irrorentur viſcera.

Prout corii aduſti particulæ ſuppuratione ſublevantur & diſſolvuntur, eas ſedulò exſcindere eſt, ut, vulnere planè aperto, liceat unguento baſilico addere vel minimam quantitatem præcipitati rubri tenuiſſimè pulverati, ad promovendam ſuppurationem ampliorem & glandulas skirrodeas cùm deliquio lapidis cauſtici ſæpè ſæpiùs tangere, ut deleantur.

Bubones, nitiores, quos abſque emplaſtris ad completam ſuppurationem ſola deduxit natura, juvante tamen mercurio, ſunt ſcalpello incidendi & ipſorum eſt adimplenda cavitas cum linamento ſicco, cui ſuperapponatur emplaſtrum unguenti fuſci; plerumque ſanantur, ut vulnera ſimplicia, niſi quid naturæ adverſetur.



CAPUT VII.

De variis ulcusculis cancrosis.

CONTAGII venerei symptomata, quæ vulgò dicuntur ulcuscula cancrosa, & ab erudito Astruc, caries pudendorum, huc usque vel levissimè fuerunt tractata.

Quædam sunt ulcuscula cancrosa, seu potiùs erosio levis corii pudendorum, superficie variè circumscriptâ, cujus nec alta, nec callosa est basis; quam erosionem levis dumtaxat concomittat inflammatio; ex eâ plus aut minùs abundans delabitur suppuratio serosa & purulenta, quæ portendit seminium venereum acre & leviter corosivum. Exulceratio hæc cutis facilè potest sedari antivenereis, non enim gravè, nec inveteratum indicit contagium.

Alia ſunt eroſio gravior, quæ ex aſâ ſummâ cuticulâ, partis tùm præputii, tum balani denudatum pungit & rodit corium; quod largè fundit ſaniem ſeroſam & graveolentam, quæ ſemper invadit præputii baſim & coronam balani, ipſiuſque ſæpè maximam partem, cum inflammatione gravi, cujus eſt particeps præputium, quod idem ſeminium non leviter depaſcit, ſæpèque phimoſim procreat. Caſum hunc repellunt lintea faſciola, radicis altheæ decoctu madida, ſi maturè interjiciantur, ita ut haſce inter partes immediatus ullus adſit tactus.

Hæc eroſio caſus licèt videatur levis, & citò abeat; non minimi tamen eſt momenti, quod contagii inveterati ſit effectus multoties rediturus; quòd per annos antivenereis etiam repulſus ter quaterve iterùm appareat, & munditiei ope licèt imprimìs abierit, phænomena tandem procreat, quæ probant ſemi-

nium venereum coagulans in ſanguinem jam pridem fuiſſe infuſum & humorum motui planè aſſuetum quod, ut anteà dixi, lento procedens gradu in morâ factum eſt acre nec non corroſivum.

At verò licèt huic ſymptomati obnoxius interdùm fuerit ægrotans; licèt ſeſe ſanum crediderit, tanta ſit in inſtanti hujuſce contagii energia, ut varia repentè ruant ſymptomata vel graviſſima, bubones ſcilicet ſolitarii, carcinomata præputii in internâ facie, aut in toto corpore puſtulæ variæ, & aperta ulcera cum carie oſſium, quæ cuncta luem confirmatam demùm ſtabiliunt, cujus curatio neceſſariò indigeat accuratiſſimâ mercurii adminiſtratione, ſuo etiam in ſtatu eroſionis, de quâ mox fuit narratum.

Sunt adhuc minima ulcuſcula præcedenti eroſione paulò minùs metuenda, quorum tardior eſt inceſſus, quæ tamen inveteratum prænuntiant contagium ve-

nereum, debilitatum quidem antivenereis, quibus non potuit penitùs eradicari.

Hujuſce ſymptomatis infauſtus nihilominus foret exitus, licèt caſus non edat æquè periculoſos, ac eroſio præcedens gravior. Hæc autem ulcuſcula plerumque varias in variis corporis partibus dolores dumtaxàt generant, qui perraró habentur effectus ſeminii venerei.

Exoſtoſes tandem ſurgunt, quæ demùm produnt indolem horumce ulcuſculorum, quæ ſunt, ut ità dicam, punctum exulceratum in coronâ balani, aut præputii in parte, huic contiguâ; quod nullo modo tumeſcit, quod albeſcit ſæpiùs ex minimâ cujuſdam muci parte, quam parcè fundit, leviſſimum procreat pruritum abſque ullo dolore, nec ullâ præmiſsâ inflammatione ſenſibili; paulò poſt ortum evaneſcit ſolo munditiei auxilio, nullâ remanente in cute maculâ, futile tamen hoc ſymptoma, multoties iteratum, divitibus de-

nunciat confugere ad completam mercurii administrationem, quod ipsis sit peculiarius quàm egenis.

Inter ulcuscula cancrosa indistinctè numerantur varii cancri, qui oriuntur ex cute totius mentulæ, qui ab aliis omnibus distingui merentur. Sic nascuntur, præmissâ gravi inflammatione, tota multùm rubet mentula, tota ardens videtur, plurimùmque dolet; ipsius in parte superiori, mediâ aut inferiori; in quovis latere, in quolibet tandem penis puncto jam surgit parvus tumor, subruber, violaceus aut purpureus, graviter dolens; cujus apex modò albescit & intrà viginti quatuor horas in ulcus dehiscit, largè fundens suppurationem purulentam & serosam, adeò acrem & corrosivam, ut brevi rodat largiùs carnes.

Unà nascuntur perraró plurimi hujusce speciei cancri; solus urethram & corpora cavernosa denudaret, si lapide infernali citò non circumscriberetur

ſtrenuè & celerrimè curari vult verus hic cancer; imprimis venæ iteratâ ſectione, priuſquàm in ulcus dehiſcat; modico victu, largo potu & enematibus emollientibus, inflammationem & immoderatum calorem ſedare expedit. Ulcus apertum linamento unguenti baſilici & ſtyracis mixturâ accuratè cooperiatur, & penis integer involvatur cum penicillis decoctu althææ & aquæ vitæ tertiâ parte continuò conſperſis.

Aliquot poſt diebus, cum graviſſima ceciderit inflammatio, cancrum obtegere decet linamento & digeſtivo unguenti baſilici, olei hyperici & paululùm præcipitati rubri tenuiſſimè pulverati & rectè mixti, ſuperapponendo emplaſtrum unguenti fuſci.

Lapide infernali iterùm atque iterùm, uti fas eſt, ipſius dummodò applicatio ſit levis, ut reprimantur carnes lividæ & fungoſæ, ſivè ut tutiùs & arctiùs circumſcribatur cancer, cujus ſanationem properare & abſolvere poterunt hæc

medicamenta, si maturè adhibita fuerit completa mercurii administratio.

Alia sunt ulcuscula cancrosa, aut cancri, quorum totam amplitudinem replent carnes lividæ, quæ densitate suâ & colore rectè effingunt suis cutem coctam & scissuris variis liratam; hæ carnes plus minùsve turgent ratione victûs & munditiei ægrotantium.

Contagium inveteratum detegunt hæc ulcuscula, cujus coagulans & acris ex naturâ suâ fit indoles, imposterùmque adeò corrosiva ut corium rodat & portendat germinatum, qui mercurii ritè administrati implorat opem, ut radicitùs curetur.

Luxuriantes hæ carnes reprimi & depasci volunt usu iterato lapidis infernalis & digestivo unguenti basilici s. q. præcipitâti rubri tenuissimè pulverati saturato, donec omninò deleantur. Tùm ulcusculorum superstes tegenda est basis levissimo emplastro unguenti fusci ad optatam cicatricem obtinendum.

Ulcusculi cancrosi peculiaris adhuc adest species, quæ præputii in parte balani coronæ contiguâ nascitur, ibi minima sese offert induratio occulta, quæ sensìm adaugetur & cum levi dolore efformat tumorem avellinæ crassitiei similem. Tùm inflammatio gravis & dolor lancinans ægrum angere incipiunt; retrorsùm deduci vix potest præputium & sæpè fit phimosis jam ortum est verum carcinoma lentè dehiscens in ulcus, duo perrarò numerantur unà.

Magìs ac magìs indurato tumore, ac indè prohibitâ humorum circulatione, tota tumet mentula, quæ ut relaxetur, brachii multoties secanda est vena, adhibenda sunt cataplasmata cum micâ panis & decocto radicis althææ.

Sub præputium intromittere oportet linamentum unguento mercuriali & æquali parte unguenti de styrace oneratum; donec tumor paululùm molescat. Tùm, retromisso præputio, tumor

magìs

magis videtur expanſus, ſubniger tectusve vel minimâ quantitate cujuſdam muci ſanguinolenti; hujuſce tamen tumoris carcinomatodei completam movere ſuppurationem vix licet, quamvis lapis infernalis & digeſtivum cum præcipitato rubro veniant in uſum. Caſus hic perpetuò videri debet tutiſſimum contagii gravis indicium, quod ad fauſtum exitum nequit deduci, niſi accuratiſſimâ mercurii adminiſtratione.

Cancroſa demùm ſunt ulcuſcula perdicis oculi vulgò dicta, quæ paulò poſt coitum aperiuntur, mox in præputio, mox in balano, & perſæpe in utroque.

Minima ſunt tubercula, quorum apex citò eroditur ſuppuratione albidâ, rubris remanentibus oris; baſis ipſorum modo flexilis adſtat modòve leviter indureſcit. Sunt plerumque effectus contagii, quod penis ad intùs ſe nondum intulit, cujuſve exitus parùm eſt timendus, munditie &

decoctu radicis althææ facilè sanatur leviora adhibendo antivenerea.

Quæ hoc in capite & in præcedenti fusè fuerunt relata, iis possunt videri supervacua, à quibus tot varii casus in globo inter se perturbatè sumuntur, præsertim in nosocomiis venereis. At verò molesta fuit ægris plurimis agendi hæc ratio; ideòque laborantium hoc morbo ob salutem, eos esse peritissimos vellem, qui advenientes pauperum has in ædes ægros inspiciant, ut quique suâ in sede collocentur & singulis symptomatibus congrua tutiùs adhibeantur remedia, sic miseri multò plures semper fruerentur faustis beneficiis regiæ administrationis.



CAPUT VIII.

De Fluxu venereo aut Gonorrheâ.

Contagii venerei varia inter ſymptomata fluxus venereus, præ cæteris, innumera auctoribus ſuppeditavit erronea argumenta; eorumdem hodiè errorem dumtaxàt hìc aggredior, qui contendunt fluxum virulentum, quoquo modo tractetur, numquàm poſſe nec potuiſſe gignere aut abire in luem veneream confirmatam.

Dicant velim, an lues vulgò dicta *chaude-piſſe* ſit effectus vel germen quoddam ſeminii venerei? An ſeminium hoc venereum ſemel germinatum unicam tantùm habeat germinationem? Probent hancce unicam germinationem eſſe frigidam, cui inſita non ſuperſit facultas varios adhuc edendi germina multò graviora.

Ex diuturna praxi compertum eſt ſeminium venereum edidiſſe, uno coitu, uno & eodem tempore, gonorrheam, ulcuſcula cancroſa & bubones diverſæ indolis. Eadem praxis ſæpè ſæpiùs comprobavit gonorrheam, poſt effluxum per quindecim dies, remediis pravis aut fortuito caſu jam allato, ſubitò evanuiſſe; indèque poſt menſem, poſt etiam multos menſes & ultrà, varia apparuiſſe ſymptomata pathognomonica, quin ullus ſuperfuerit coitus. Nec aſſerere licet ſeminium venereum in corpus humanum coitu impulſum, ut frumentum in agro tectum aratro, putrefieri debere, niſi intra tempus datum germinaverit; cùm omnibus ſit notum contagium venereum diù diutiùſve torpuiſſe abſque germine & nullo iterato coitu, varias ac ſordidas demùm ſuppeditaſſe maculas venereas.

Quis practicus non noverit gonorrheam inerudité curatam multoties præbuiſſe ortum ſymptomatibus, quæ luem veneream confirmatam denuntient?

Cui practicò non occurrerit gonorrhea recens, quin remediis assuetis eam penitùs curare, nec etiam sedare potuerit? Ergò gonorrheam aliquoties esse luem veneream confirmatam denegare nefas est, cum nullo alio modo, quàm completa mercurii administratione sanari possit. Fluxus ergò humoris virulenti est effectus aut germen seminii venerei, quod ideò non putrescit, nec recidit ad nihilum, nisi penitùs fuerit enecatum legitimâ curatione. Quin imò corporis variis in partibus diù torpere valet, quin amittat facultatem rursùs inquinandi naturam eorum, qui se sanos crediderunt, quòd jam pridem abiere symptomata inerudité curata.

Spermatis quodam effluxu sententiam suam firmare incassùm susciperent iidem scriptores; nullo enim modo spermatis effluvium potest assimilari gonorrheæ, ergò hâc de sententiâ jamjam satis. At verò eam debellare volui, quòd ægrotantes plurimi infausto hoc errore im-

buti, & hâc labe venereâ notati, adolescentes præsertìm, parvì faciant hunc casum, lætè dicentes nihil nobis superest timendum. Vetustate peribit hæc gonorrhea, numquàm fieri valet lues venerea confirmata. Heu! nesciunt indè fore asperrimam senectutem.

Prætereà, existente gonorrheâ, existit seminium venereum; ex dictis ergò quivis hoc laborans casu, contagii venerei cunctis symptomatibus est obnoxius, quæ eò tutiùs ac celeriùs nascuntur, quòd in gonorrheâ malè curatâ virus non fuisse enecatum probet experientia, contrà verò fit pejus; ergò, hoc in casu, seminium venereum potest, imò etiam debet abire in luem confirmatam.

Fluxus venereus seu Gonorrhea.

Gonorrhea est fluxus humoris virulenti per meatum urinarium, cum levi dolore & persæpè cum peracutâ uredine. Imprimìs serum tenuè plerumque effluit, dein lymphaticum viscidum, purulentum, aliquotiès sanguinolentum

& acerrimum ſit effluvium pro morbi indole & gravitate inflammationis, quæ plùs minùſve ſtatim anxerunt varia ſeminis receptacula, quæ enumerare & hujuſce morbi denotare ſedem hic foret ſupervacuum.

Paucis practicis, multis verò ægrotantibus, ob rationes modò allatas, contagii venerei vel minimum videtur hoc ſymptoma, omnium tamen reverà eſt maximum; leves plerumque ſunt ſtatim ipſius tragœdiæ, quas dein edit moleſtiſſimas. Gonorrhea juvenes angit & excruciat ſenes; extremum enim ipſius malum, abeuntibus annis, ſunt ſtranguria, diſuria & ſæpè calculi, quibus multò magìs obnoxii ſunt ſenes. Hujuſce morbi innumeras ſtabilire ſpecies in praxi mihi videtur vanum.

Caſus eſt inflammatorius gonorrhea, cujus contagium in utroque ſexu genitalium varias partes, intrà coitum, plus minùsve titillat & pungit; indè ſurgit inflammatio, quæ eò ſit intenſior, quòd

germen fuerit magìs corroſivus aut acrius. Hanc inflammationem citò ſequuntur variæ in variis locis ulcerationes, leviores aut graviores. Sin autem aſperum tantùm & minùs irritans fuerit germen, mitior foret inflammatio, ulceratio altitudine & numero minor; ſuppurationis effluxus indè erit parcior; cavendum tamen eſt ne creſcat eundo.

Sedari vult inflammatio, venæ ſectione, largo potu, enematibus & balneo.

Venæ ſectio ſanguinem ad uncias duodecim è brachio ſemel biſve emittat pro gravitate inflammationis & viribus ægri.

Cumulatè potetur ptiſana levis ex althæa & gramine, cui addere eſt, in duabus libris, ab octo ad duodecim grana nitri depurati & ſyrupi violacei unciam unam. Aqua ſequanea plurimis, in æſtate ſatis eſt, cum eâdem quantitate nitri & ſyrupi violacei; congruens pariter eſt emulſio è dragmis duabus ſeminis papaveris albi, in aquæ fluviatilis fibris duabus cum nitri & ſirupi

eâdem quantitate ut suprà. Non minùs juvat serum lactis clarificatum enemata ex aquâ fluviatili vix tepidâ, in æstate, conficiantur, &, in hieme, cum levi decoctu seminis lini.

Balnea numero multa, in quibus caloris nec frigoris sensum levem experiantur ægrotantes, mirè minuunt & tollunt inflammationem, quam aliis medicamentis debellare sit nefas per quindecim dies ab ortu morbi, ne adversentur suppurationi & fluxui humoris virulenti.

Aliquot si fortè adfuerint ægri sollicitudini vel minimæ obnoxii, quod nullis aliis remediis utatur practicus peritus, sagacitas sua, quid congrui suppeditare poterit.

Exindè ulcerationes nec oblivioni, nec negligentiæ tradantur, meminisse oportet gonorrheam, licèt videatur mitis, esse effectum contagii venerei, quod easdem procreaverit.

Quorumdam practicorum de his quæ

vis ſit ſententia, non minoris eſt momenti abſtergere & ad cicatricem inducere ulcerationes, è quibus pendet fluxus virulentus, non injectionibus quidem detergentibus nec aſtringentibus, quas multò ſæpiùs miniſtrantur argytæ.

Lenientia contrà adhibenda ſunt antivenerea, quæ venerea germina, ullâ abſque noxâ, penitùs deleant, talia ſunt, pillulæ gummatæ mercurii, de aquilâ albâ, de terebinthinâ cum æthiope, vel de terebinthinâ ſimplices, unctiones mercurii leviores; hæc medicamenta tutò & radicitùs exſiccant fluxus virulentos, qui alioquin toties reſurgunt, & hos redivivos, tùm afferunt circulatores eſſe effectus ulterioris coitûs.

Inconcuſſa mea remanet praxis, & pro certo habeo neminem neſcire gonorrheam ſæpè ſæpiùs aſſuetum fuiſſe fontem contagii venerei, quod peracutis cum doloribus, tot citò metit ægros, quorum morbificus ſtatus ab argytis ſuperbè fuerat denegatus, quoniam ſublaeret virus.

Quot homines robusti, nec non ad venerem vel maximè propensi, decem, quindecim & ultrà putant habuisse gonorrheas? Dùm reverà ejusdem styrpis venerei sunt novæ germinationes. Hâc veritate adeò sum imbutus, ut quotiescumque sese offert fatens æger se jam habuisse plurimas gonorrhæas, urethræ statum candelis medicis detegere imprimis attentissimè studeam. Obices quidam si adsunt in urethrâ, qui denuntient præcedentes gonorrheas malè fuisse sanatas, suadeo confugere ad completam mercurii administrationem, & præmissis septem aut octo frictionibus mercurialibus, candelas medicas adhibeo, quarum usum à principio morbi præscribere fuisset periculosum; nam seminio venereo remediis mercurialibus nondùm debilitato, tum adaugeretur inflammatio & humoris posset fieri repercussio.

Per horam integram in urethrâ dumtaxàt eas remanere intromissas juvat,

easque primo manè adhiberi decet, ut, in lecto jacente ægro, & per noctem partibus cunctis relaxis, eam tantùm moveant inflammationem, quæ sit satis, ut eveniat suppuratio vel ulcusculorum callosorum, vel pravarum cicatricum, quæ urinarum libero fluxui forent impedimentum. Urethræ meatus obicibus aliquoties est ferè interclusus, ita ut candela vel tenuissima intromitti nequeat; tùm exscindere est candelam eâ longitudine, ut extremitas premat metam & obicem, sivè sint cicatrix inveterata & strictior quàm par est, aut ulcusculi callositas amplior. Ibi oportet filo xilino religare candelam, ut, hoc opere, bis in die, per horam integram ipsius extremitas premendo obicem, sibi tandem aperiat viam, suppurationem movendo.

Per aliquot dies, viâ semel apertâ, crassiorem non adhibere est candelam, at sæpè sæpiùs irrorare urethram injectionibus decocti radicis althææ, quas unicas eligere debeat peritus practicus. Dein majoris diametri sumenda est can-

dela medica ; ita tamen ut intromitti queat, quin vehementer diſtendat annulum qui in urethrâ effinxiſſet obicem, ne acutiores eveniant dolores, qui curationi certam afferre poſſent moram.

Urethræ totam amplitudinem craſſioribus candelis cautè pedetentìm revocare oportet; candelis diutiùs uti in quocumque caſu ſanabili, periculoſum eſt ; rejiciendæ ſunt ſimul ut libenter intromittuntur.

Nulli ſunt obices quos, eradicato ſeminio venereo, non tollant intrà duos menſes; dummodò quidem non adhibeantur, quin priùs ferè deleta fuerit lues venerea.

Inveterati ſunt alii caſus, quibus candelæ fiunt inertes & vanæ; quibus neceſſariò eſt opus operatione chirurgiæ, tùm omiſſis candelis, anceps non hæret Medico-Chirurgus, artis ſuæ ſubitò confugit ad varia auxilia.

CAPUT IX.

De Phimosi & Paraphimosi.

PHIMOSIS & paraphimosis non sunt semper venerei casus; phimosis contrà est sæpè naturalis, quin sit naturæ molestus, nisi superveniat morbus peculiaris.

Paraphimosis verò contagii venerei nullo modo particeps, phimosis naturalis est effectus & perpetuò haberi debet casus gravis, quòd ipsum plerumque edat inflammatio, immmoderato motu, comparata, quodve absque dolore, ac persæpè absque scissuris variis nequeat sanari.

In phimosi naturali absque casu, absque dolore, nullâ adstante inflammatione, præputii summus lymbus ità coarctatur, ut urethræ aliquoties intueri meatum vix liceat, quin tamen ullis naturæ muneribus obstet.

In paraphimofi contrà balani pone coronam retractum vehementiori nifu præputium ità conftringit mentulam, ut humorum omninò intercludat circulationem, quod fieri nequit nec abfque dolore, nec inflammatione, etfi nulla adfuerit morbi caufa.

Ad anteriora balani, manu folerti, fi illicò non adducatur præputium, ipfiufmet complicatæ rugæ annulares abfque morâ funt fcalpello explicandæ, ut incifuræ linamento ficco oppleantur ad hæmorrhagiam fiftendam, & ut evolutæ abeant ad cicatricem; alioquin folo fanguinis regreffu præclufo, inflammatio eò adaugeri poteft, ut brevi immineat gangræna.

Cum phimofis & paraphimofis contagio venereo producuntur, majus femper adeft periculum & perrarò in alterutroque effugere fas eft operationem chirurgicam, quæ eò neceffaria fit, quod varii cafus concomittantes brevi evadant intentiores. Simul ut breve intra tempus, emol-

lientibus, detergentibus, nec venæ ſectione contagii venerei non reprimitur energia, ad operationem repentè eſt deveniendum, quæ numquàm foret periculoſa maturè ſi fuerit celebrata.

Phimoſis & paraphimoſis inter ſymptomata quædam ſi adfuerint inveterata, ut carcinoma, skirrus & ulcuſcula, quæ ſublatuiſſent, mox adhibenda erit completa mercurii adminiſtratio; ſin minùs variis remediis, in capite de ulcuſculis, ſuprà allatis facilè ſanantur.



CAPUT X.

De Obſervationibus practicis.

OBSERVATIONES practicæ edocendi ſunt modus ſæpè fallax & minimè certus; de morbis ſanatis argytarum merè mendaces ſunt variæ narrationes: practicorum etiam peritorum ac vel maximè proborum mendoſi de illis aliquoties ſunt ſermones.

Cùm curationem ſcriptis ſingulatìm referre eſt, è mente non raró effugiunt variæ circumſtantiæ, quæ morbi in decurſu medicamenta eligendi, eaque aptè adhibendi pretioſum temporis momentum fauſtè denotaverunt.

De ægrotanti unico nuper à me ſanato attentè ac verè ſum ſcripturus, non uſui ut ſervire videar, ſed ad magìs ac magìs comprobandum gonorrheam horrendiſſimorum ſymptomatum ſæpiſſimè fuiſſe fontem.

Paucis abhinc annis de gravi & inveterato morbo, verbis fui consultus (1); longo mihi enarrato sermone, priusquàm meam detegere sententiam, ægrotantem circumspicere volui, ut ab ipso de variis varia ac tuta acciperem documenta.

Ætatis suæ quinquagesimo anno, morbi energiâ & medicamentis stratus in lecto jacebat æger, lazarum referens : inter Helvetios licèt natus vel maximè robustus domum à duobus annis non deseruerat, nec ab octo ultimis mensibus de sede absque scipionibus poterat exilire.

Stasis amplissima & altissima in surâ tibiæ sinistræ, cujus & genu omnem præcluserat motum; femur etiam macilentum vix movebat propter ulcus saniosum, altum & amplissimum in parte superiori & anteriori coxæ, inæqualem sesquitrium pollicum habens circumferentiam. Peracutis doloribus excruciatus die nec

(1) Abeunte oct. anni 1664.

nocte dormitare vix poterat æger ; furæ stasim, septem incisuris levioribus detegere, adstante Medico, incassùm susceperat Chirurgus juvenis. Pus sic incarceratum sinus duos foderat versùs utrumque latus tendonis achillis ferè ad calcaneum usquè, naturæ beneficio & puris indole ; licèt adfuisset in imâ parte suræ foramen vel minimum, è quo deflueret paululùm humoris tenuis ac sanguinolenti.

Incredulis tandem sit perspectum, hæc tot & tanta è gonorrheo fonte, intrà decem annos effluxisse mala.

Hic ægrotans homo sapiens, mente & corpore aliundè sanus, juventutem suam ullo absque stupro egerat ad quadragesimum annum usque ; quodam die puellam fortè agnovit, quam uxorem ducere arderet, *facilis descensus averni.* Paulò post gonorrheus fluxus, cum suis præmissis & concomittantibus signis ipsi ignotis, apparuit ; tùm animi quietem fugat mœstitia, ultrà modum sollicitus confugit ad medicos. Remediis

usitatis utitur per sex menses; largo potu, innumeris pilulis evanescunt dolores, tandem abit gonorrhea.

Dein pro more plurima itinera agit: quatuor annis abhinc elapsis, fortuitò decidit ex equo; vulnus nullum, contusio nulla videntur. Aliquot post dies, in urbe quâdam Lotharingiæ quiescens levem dolorem in genu sinistro animadvertit; mox convocato Medico, ex equo è lapsu, dubio procul, oritur causa doloris; assueta medicamenta adhibentur, tollunt dolorem. Ægrotans pergit viam & *in herbâ latere anguem* nequaquàm excogitabat.

Aliquot post annos, eâdem in urbe, iterùm quiescens, de eodem dolet genu ullo absque casu; sensìm tumet una ex inguine sinistro glandula; uno eodemque tempore tumescere videtur genu. Nullum superest de gonorrheæ germine dubium, & deductis tandem palpebris ægrotanti sese offert effigies puellæ, cui nimis credidisset. Contagium fit evidens,

plures adhuc inquinantur glandulæ, adaugentur dolores. Mœstitia sua eum deducit ad parentes in Helvetiâ, properat, advenit; stupefacti parentes convocant Medicum. Perviam adauctus tumor ad suppurationem faustè vergit, cui faveat peritus practicus. Humori opportunè cocto exitum cultro præbet, largè fluit suppuratio. Congrua adhibentur medicamenta; optimè sese habent omnia, sensìm minuunt dolores, jam coarctari videtur vulnus, nec ampliùs adest tumor.

Robustus æger virium suarum sat compos, parentum è lecto effugit; muneribus quibusdam in virum beneficum adimplendis allicitus Lutetiam directò petit. Itineris labor, prava victûs ratio vulneri adversantur, quas non attigerat suppuratio glandulæ iterùm inflammantur non ab eodem practico ductus æger pessùm abit; cujusvis speciei medicamenta, cultrum, lapis causticus & infernalis, vice versâ, iterùm atque ite-

rùm adhibentur; inguinis cunctæ glandulæ aut excisæ aut adustæ evadunt, ergò nullus ampliùs hac in parte tumor. Intereà virus ferro & igne coactum coxæ ad ulcus, ad genu, & suræ ad stasim totam suam contulit energiam, quæ magis ac magis vigeat. Deambulandi absque scipionibus facultate sublatâ, mœrore majori, gravioribus doloribus ægri erupit sollicitudo.

Vir æquè probus ac dives, humanitatis amore persusus huic ægrotanti, ut fideli subjecto, nova sublevamina tribui jubet: plurimi famâ & muneribus inclyti convocantur Medici, quorum diversa fuit sententia. Unus quidem denegavit hæc morbi gravissima vestigia esse venerea; ea diverso modo sum intuitus ac ausus hanc suscipere curationem, quæ, juvante divinâ providentiâ, intrà duos sesqui menses penitùs fuit absoluta.

Pro meâ methodo mercurium ministravi, omnemque dedi operam tibiæ

ſiniſtræ, quæ peſſimè ſe habebat. Utrique tibiæ adhibitis mercurii duabus frictionibus; ſinus, quos ſecundùm, versùsque utrumque latus tendonis achillis foderat humor fluens è ſuræ ſtaſi, obtexi emplaſtro mercurii gummato, ità poſito & faſciâ contento, ut humori nullus abſolutè pateret introitus.

Quatuor inſuper adhibitis unctionibus mercurii, ſuræ totam cavernam detexi lapidis cauſtici ope, pro meo more, ſuperappoſiti; intrà quatuor horas, quod per aliquot menſes variis ciſuris aperiri non potuerat, tectum penitùs fuit aduſtum & ex imo largè effluxit ſuppuratio purulenta & ſanguinolenta. Paucis poſt diebus carnes cauſtico aduſtas cunctas reſolvere, abſque dolore, non fuit nefas; tùm omninò detectum vulnus, licèt amplum & altum ad laudabilem tutamve cicatricem fuit adductum digeſtivo unguenti baſilici & paululùm præcipitati rubri tenuiſſimè pulverati & accuratè mixti. Hujuſce vulneris

uno & eodem tempore, circumferentia ingurgitatione purulentâ jampridem indurata mox molefcere cœpit, ope linamenti unguenti mercurialis levi quantitate onerati; fic fuperappofito unguenti fufci emplaftro, totum vulnus fuit ritè obtectum. Hoc modo fuppuratio facta vel maximè abundans, vulneri, eò citiùs, repurgato adduxit cicatricem demiffam flexibilem ac intrà fex hebdomadas penitùs abiit furæ ftafis.

Intereà finus tendonem achillis utrinquè legentes fuerant exficcati & fanati; coxæ pariter ulcus licèt fordidum & ampliffimum fuit curatum, fcipionefque fuos intrà duos menfes depofuit.

Hæc fuerant inveterara fymptomata; aliud verò multò gravius, nonâ frictione adhibitâ, repentè advenit. Quodam jam abeunte die, fe lædiffe versùs anum, fedendo in familiari fellâ, queftus eft ægrotans; partem tetigi; cùm autem hilaritati hucufque fefe dare vix aufus fuerat, obmutui, ne pravam ageret noctem.

noctem. Proſtata jam erat indurata & leviter tumefacta ; adveniunt citò dolores acuti ; intrà quinque dies ampliſſimus ſurgit in perinæo abſceſſus ; jam ſumma cuticucula, quinto die, partim abierat. Tumorem circumſpiciens, gangrenâ hinc illincque maculatum animadverto, hujuſce illicò celebravit operationem, ante ſolis receſſum, filius meus ; immenſa humoris effluxit quantitas, teterrimus ſeſe expandit odor ; versùs & citrà anum utrinque puris energia jam foderat ſinus, quos cultro detegere citò opportuerit. Vulnere, linamento ſicco, repleto & accuratiſſimè obtecto, nondùm ſedata fuit tempeſtas, magìs ac magìs imminet vitæ periculum, per noctem alvi advenit effluvium. Sequentia tamen remedia ſenſìm reduxerunt ſpem ; diæta levis ullâ abſque carne, nec etiam in juſculis ; decoctum album pro victu ; decoctum corticis peruviani ritè electi pro potu, & pro lotionibus ac injectionibus ; linamentum hoc decoctu madi-

dum quibuſdam in punctis amplitudinis abſceſsûs ; linamentum dein , modo digeſtivo ſimplici , modo mercuriali unguento oneratum & in omnibus vel maxima munditiés.

Hæc ſola curationem adeò periculoſam, ad fauſtiſſimum duxerunt exitum. Uno eodemque tempore advenerant leves cancri duo in præputio propè coronam balani, qui libentiùs abierunt. Ab operatione celebratâ ac alvi effluvii ab ortu, octavo die unctiones mercuriales adhibitæ, pro more, perductæ fuerunt ad numerum debitum, ùllo abſque caſu, ullâ abſque intermiſſione, quin ageretur de ptyaliſmo, nec de ſalivatione. Tranquillitas ægri fit hoſce intrà octo dies ; ſecuritate & dulci ſpe benè firmatis perpauci, leviſſimi ac optimi jamjam ſuppeditantur cibi & perparùm meri aquâ diluti ; ſic rediit ad ſanitatem, quâ ullo abſque incommodo fruitur. Innumeros inter à me ſanatos omnium fiduciâ vel digniſſimus hic

æger ea cuncta teſtatur. Quinimò, per tres annos valetudine ſuâ, accuratè perpensâ, ab aliquot menſibus juvenem ſibi adjunxit uxorem, quæ jam eſt gravida.

CAPUT ULTIMUM.

De novo regimine in noſocomiis venereis inſtituendo.

LUDOVICUS XVI, rex noſter, ſuos in ſubjectos vel maximè benevolus humanitatiſque integræ vivo amore motus nuper promulgari voluit edictum, quo dicatur ædes nofacomiales fore conſtruendas in quibus pauperes utriuſque ſexûs, lue etereâ laborantes novam ſinguli poſſint, ut ità dicam, adipiſci vitam incolumem, quâ fruentes, patriæ ab omnibus debitam ſuam conferre queant ſymbolam.

Immenſa eſt hæc ſuſceptio, pro pauperibus tale ſublevamen ad maximas impenſas certè coget regiam adminiſtra-

tionem. At verò ne innumeri profundantur nummi, civem quemque probum decet ſuppeditare regimen novum, quod parcitatem & œconomiam tutò referat; quin ullo modo inſtitutionis tam piæ minuat præſtantiam. Hæc enim mea eſt mens.

Hoc in opuſculo anteà probavi nullum lue venereâ laborantem umquàm ſanari potuiſſe intrà menſem nec ultrà menſem morbi & medicaminis ſuſtinere actionem, ſi natura diætâ graviori ultrà modum fuerit debilitata.

De his conſulenda eſt hæc mea methodus ſeminium venereum penitùs eradicandi, & omnibus erit apertum hocce in morbo ægri ſuſtentare vires fore vel maximi momenti. Nutriantur ergò ægrotantes & natura victu & remediis adjuta tutiùs futura eſt medicatrix.

De alimentis ſumptus ſtatim videbuntur majores; at verò ægrotantes ſinguli, de die in diem, ſanitatem recuperando, labore diuturno & conſtanti, tempus non

modò ad lucrum quoddam certum conferent, ſed etiam otii horrendâ libidine, evertere fauſtos medicinæ effectus non ipſis licebit.

Mercurii adminiſtratio vel maximè completa numquam impedit, quin ægri dent labori operam; quin etiam vel minimum curationi ſit impedimentum. Tùm quævis utriuſque ſexûs ſit occupatio, ipſius certè compendio poteſt compenſari ſumptuum pars non minima. Quin imò lue venereâ penitùs eradicatâ abſque ſalivatione & inediâ intra duos menſes ad munera ſua adimplenda fortior redibit civis & ipſius curatio in patriam minimi fuerit detrimenti.

Ob graviſſima ſymptomata, ullum laborem ſuſcipere qui non poterunt, in alios varia miniſtrare commoda erunt coacti.

Ideam hanc mihi peculiarem opuſculo meo ſubjeci, quod eam cujuſdam utilitatis fore exiſtimaverim.

Prætereà nihil habeo dicendum de

naturâ laboris, cui ægrotantes incumbere expedit; nihil multò minùs adhuc de internâ noſocomiorum agendi ratione, quorum ſapientiſſima eſt adminiſtratio.

Ægros ſublevandi unicum mihi ſemper fuit deſiderium; ſicve, pro viribus meis, priuſquàm obeam, patriæ meam volui ſolvere ſymbolam, ætatis meæ ſeptingenteſimo primo.

FINIS.